

tribunalium praxi. Nec propterea admittendum est in nostra sententia (ut D'Annib. objicit) : idem tenendum esse de causis profanis, eo quod similem dispositionem eodem tit. c. 10 idem Alexander III ediderit. Nam antiquitus haec decretalis universaliter recepta non fuit : sic Schmalzgr. (in h. t. n. 33 seqq.) eam in Germania nullam vim habere asserit. Hodie autem luce clarius est Ecclesiam nullam hujusmodi potestatem exercere velle in causas profanas. Quare apparet manifesta discrepantia cum dispositione R. P. de causis piis.

Igitur legata pia, in testamento formis legalibus destituto, valorem suum servant. Attamen prudenter procedendum ne sine fructu perturbetur bona fides eorum qui sibi persuaserint, praesertim postquam iudex testamentum irritum esse statuerit, obligationem legata pia exsequendi evanescere.

§ 3. DE HEREDIBUS NECESSARIIS ET PORTIONE LEGITIMA.

676. Jus civile omnium gentium, quamvis facultatem testandi agnoscat, solet huic facultati certos limites apponere, vetando ne quidam, qui ab intestato succederent, penitus a testatore excludantur. Hi dicuntur heredes necessarii, et varii sunt pro vario Jure, sicut etiam varia est hereditatis pars quam ipsis lex civilis *reservat*. Eadem reservatio, saltem in Jure nostro, pariter statuitur pro facultate donandi inter vivos.

De hoc argumento hae sunt praecipuae Juris nostri dispositiones :

1° Qui moriens unum liberum legitimum relinquit, disponere potest de dimidia parte bonorum suorum ; qui duos relinquit, de tertia ; qui tres pluresve, de quarta parte. (C. C. a. 913)

2° Secundum communem opinionem Jurisperitorum, contradicentibus aliis (Laurent, Cours él. t. II. n. 234), pater vel mater filio illegitimo legaliter recognito auferre nequit illam partem quae ad eum deveniret si pater vel mater ab intestato moreretur. Cfr. n. 667.

3° Qui moriens nullum descendantem, sed unum pluresve ascendentes in utraque linea paterna et materna relinquit, disponere potest tantum de dimidia parte bonorum suorum ; si vero idem ascendentes in una tantum linea relinquit, de dodrante disponere potest. (a. 915)

4° Qui neque ascendentes, neque descendentes relinquit, de omnibus bonis suis disponere potest. (a. 916) Uxor enim inter heredes necessarios in Codice nostro non recensetur.

677. QUAER. I. Num peccent qui donationibus vel dispositionibus testamentariis legitimam heredum necessariorum portionem laedant.

RESP. 1° Probabilius non peccant contra *justitiam commutativam*. Heredi enim necessario jus strictum ad portionem hereditatis nascitur tantum post mortem testatoris. Igitur testator, disponens de re sua, nullius jus strictum laedit. Excipe tamen : si mediis fraudulentis uteretur ad impediendum ne heres necessarius jus suum prosequeretur. Hinc etiam illi qui bona acceperunt, modo nulla hujusmodi media fraudulenta adhibita fuerint, tuta conscientia servare possunt quae, cum laesione legitimae portionis, acceperint. Sufficit ut permittant heredes necessarios uti jure, quod iis confert lex (C. C. a. 920 seqq.), petendi reductionem donationum ad partem disponibilem : qua reductione concessa, omnino e stricta justitia reddendum erit quicquid eadem partem excedit. (Marres, l. 1. n. 339 seqq.)

2° Regulariter peccant contra *justitiam legalem*. Dispositio enim qua lex partem aliquam quibusdam heredibus reservat, non solum justa est, sed quodammodo necessaria ne praesertim liberi legitimi, nimio amore parentum erga alios, puta patris erga alteram uxorem ejusque liberos, ab omni hereditate excludantur. Attamen peccatum istud videtur per se leve ; grave foret tantum si heres necessarius, propter legis transgressionem, in inopiam, saltem relativam, conjiceretur.

3° Attamen *nullatenus peccare* videtur qui legitimam liberorum laedunt, praecipue favendo uni e liberis prae aliis :

a) Si aliter impleri nequit aliquod officium quod testatori vel donatori aliunde incumbit e pietate, caritate vel justitia, puta parentibus in gravi necessitate positis opitulari, honestae educationi filii illegitimi vel etiam incestuosi providere. Nequit enim lex civilis imponere obligationem quae adversetur officiis e lege naturali oriundis.

b) Si quando observantia legis, quae in bonum familiae lata est, in ejusdem detrimentum vergeret, puta quia, servata aequalitate, nemo foret e descendantibus qui paternum commercium vel agriculturam prosequi posset, vel quia unus e filiis brevi omnia dissipaturus esset, dum frater, cui plus datur quam lex concedit, merito speratur provisurus ne prodigus ille ejusve liberi egeant. (Marres, l. c. n. 341)

Hujusmodi casus non raro accidunt in iis regionibus in quibus, ut in Belgio et Gallia, nimis restricta est libertas, patrifamilias competens, bona inter liberos suos partiendi ea ratione quam prudenter ad eorum commune bonum expedire censuerit. Experientia enim tam diserte docuit nimiam hanc restrictionem officere stabilitati familiarum, paternae auctoritati et totius reipublicae incolumitati, ut jam pleraeque nationes Europaeae amplio rem libertatem parentibus dederint, vel per leges ipsas normam statuerint qua fundus paternus in dominio aptioris e descendantibus permaneat. Hinc, licet leges nostrae nequeant apertae

injustitiae argui, non sunt tamen urgendae quotienscumque earum applicatio in detrimentum familiae cederet. (1)

4° Licet etiam parentibus legitimas heredum necessariorum portiones minuere per donationes remuneratorias, quae, sensu stricto, donationem liberalem non constituunt.

5° Jam inter veteres DD. utrimque probabiliter disputabatur utrum easdem legitimas laedere liceret per donationes vel legata ad causas pias, dummodo heredes necessarii obtinerent id quod jure naturae ipsis relinquendum sit ad honestam sustentationem. (S. Alph. n. 740) Opinionem libertati donandi vel testandi faventem a fortiori nunc applicare licet, cum (saltem in regionibus nostris) pars disponibilis multo minor sit quam sub Jure Romano, quod jubebat relictum iri filiis tertiam bonorum partem, si non essent plures quam quattuor, et dimidiam, si plures forent. Heredes necessarii qui dispositiones pias, tamquam juribus suis nocivas, coram tribunalibus aggrediuntur, certe peccant contra justitiam et per se ad restitutionem tenentur, si fraudes adhibent. Quodsi reapse eorum pars legitima laesa est, non videntur peccare dum eam justis mediis reclamant: siquidem multi etiam veteres DD. censebant donationes inofficiosas probabiliter reduci posse ad portionem disponibilem. Cfr. n. 610; Less. de Just. et J. l. 2. c. 18. n. 112.

Si quis ex odio vellet solam legitimam filiis relinquere, vel fratres non indigentes omnino praeterire, is sub gravi obligandus esset ut hoc odium deponeret, *hortandus* tantum ut illis aliquid amplius relinqueret: nam utitur jure suo. (Lugo, disp. 24. n. 175) Nec putaverim graviter peccaturum parentem qui, absque justa causa, uni filio prae aliis faveret, ut opinatur Lehmk. (l. n. 1125): nam, si propterea odia et dissensiones oriuntur, id tribuendum est malitiae et avaritiae heredum, potius quam parenti, cujus actio, saltem exterius, est omnino recta.

678. QUAER. II. Num testator teneatur ad partem hereditatis suae relinquendam heredibus quibusdam non necessariis.

RESP. 1° Unica datur obligatio gravis, nempe ut fratribus et sororibus, necnon uxori, relinquatur id quod sufficiat ad gravem ipsorum inopiam sublevandam, puta si uxor, hoc subsidio privata, a condicione sua decideret. (2)

(1) Qui plura cupit, adeat ex. gr. *Les lois successorales dans la société contemporaine*, par le C^{te} DE BOUSIES. (1890)

(2) Hoc periculum avertit legislator Belgicus lege 20 Nov. 1836, cujus art. 2. ita sonat: "Le conjoint non divorcé, ni séparé de corps, qui ne succède pas à la propriété, a sur les biens du prédécédé un droit d'usufruit qui est: 1° D'une part d'enfant légitime le moins prenant, sans qu'elle puisse excéder le quart, si le

2° Levi quoque obligatione tenetur testator ad levandam necessitatem celerorum cognatorum graviter indigentium.

Ratio utriusque est, quod pietas ad tale auxilium illis prae reliquis pauperibus praestandum sub gravi vel sub levi, pro gradu necessitudinis propinquiori vel remotiori, obligat: quae obligatio sicut in vita, ita et in morte urget (S. Alph. n. 946) et, quia indirecte bona defuncti afficit, cum iisdem ad heredes transit. (Lugo, disp. 23. n. 100)

679. QUAER. III. Num parentes possint donationes vel legata facere filiis suis illegitimis.

RESP. 1° In Jure nostro (C. C. a. 908) irritae sunt, saltem post judicis sententiam, omnes donationes vel dispositiones testamentariae, quibus filiis illegitimis aliquid datur praeter ea ad quae legaliter recogniti jus habent secundum legem. (n. 667)

2° Si parentes fraudibus utuntur ut filiis illegitimis legaliter recognitis ultra legis concessionem faveant, censent communiter AA. (Gousset, Th. Mor. t. I. n. 727) eos peccare contra oboedientiam legi justae debitam, et illegitimos ad restitutionem teneri. Id tamen valde dubium videtur, eo quod, secundum leges nostras, illegitimi qui legaliter non sunt agniti, quales sunt regulariter omnes adulterini et incestuosi, habentur ut extranei, ideoque libere accipere possunt quidquid ipsis parentes, salvis legitimorum juribus, dare vel legare voluerint. Quare, nisi in peculiari casu verum scandalum oriretur e favore praestito illegitimis, non censemus parentes dando vel illegitimos accipiendo peccare, ne in pejore condicione ponantur legaliter recogniti quam ii qui recogniti non fuerint vel etiam, obstante lege (a. 335), recognosci non possint.

§ 4. DE LEGATIS ET SUBSTITUTIONIBUS.

680. I. De exsequendis *legatis*, praesertim titulo particulari factis, sequentia pro foro conscientiae attendantur:

1° Legatum *purum*, seu absque condicione factum, dat legatario jus in rem legatam a die qua testator obiit. Attamen rei possessionem inire

défunt laisse des enfants issus d'un précédent mariage. — 2° De la totalité, quand il ne laisse que des collatéraux autres que des frères et sœurs ou leurs descendants. — 3° De la moitié, dans tous les autres cas. Si le conjoint est en concours avec des successibles appartenant à plusieurs des catégories indiquées aux nn. 1, 2 et 3 ci-dessus, la quotité de l'usufruit successoral se fixe en ne tenant compte que des successibles à l'égard desquels cette quotité est la plus faible. „

vel fructus percipere nequit, nisi a die qua rem petierit vel obtinuerit ab heredibus, legatariis universalibus aliisque ad quos hereditas devoluta est. (C. C. aa. 1011, 1014)

2^o Heres ab intestato vel testamentarius non peccat contra justitiam commutativam, si legatarium de legato non monet (saltem quando haec donatio, ut fere contingit, notario innotuit), vel non sponte ei legatum defert. Nam, cum lex statuerit *petenti* legatario rem legatam esse tradendam, heres, salva justitia, exspectare potest donec petatur. (Marres, l. 1. n. 362)

3^o Fructus rei legatae debentur legatario a die obitus, etiam sine ulla petitione, si testator diserte in testamento hanc voluntatem suam esse declaraverit, vel si pensio aut census vitalicius pro alimentis legatus fuerit. (a. 1015)

4^o Si legatur res indeterminata, ex. gr. ovis e grege, heres non tenetur ad dandam rem optimaе qualitatis; nequit tamen obtrudere rem qualitatis infimae. (a. 1022)

5^o Si quid dandum est *pauperibus*, nec quidquam aliud per cognitam testatoris intentionem determinatur, id distribuere licet iis omnibus qui, secundum condicionem suam, in necessitate versantur; intelleguntur etiam Religiosi Mendicantes et opera pia. Per se etiam praefereendi sunt pauperes illius loci in quo defunctus domicilium habuit et testamentum condidit. Potest quoque ipse distributor partem talis elemosynae sibi applicare si revera, sensu supradicto, pauper est, dummodo non constet aliunde, ex. gr. e legato quod ipsi personaliter relictum fuerit, id a mente testatoris alienum esse. (Lugo, disp. 24. n. 279 seqq.)

6^o Regulariter quod testator jussit dari pauperibus, non licet totum tradere uni, sicut nec licet inter plures dividere quod uni dari jussit. Nam plerumque frustraretur defuncti intentio a fine aliquo quem obtinere intendebat, ex. gr. ut plures pro anima ejus orarent. Excipe tamen, si quando probabiles rationes suaderent ejus intentionem fuisse ut libera electio inter utrumque modum heredi relinqueretur. (Lugo, l. c. n. 285 seqq.)

7^o Si quid legatum est pro consanguineis testatoris, intelleguntur illi qui, juxta legem civilem, ab intestato succedunt. (n. 667) Inter hos poterit heres quoslibet eligere, omissis proximioribus et pauperioribus, quando legatum ejus electioni committitur; praefereendi autem erunt proximiores et pauperiores, quo ordine vocantur a Jure civili, quando legatum immediate fit pro consanguineis aliendis vel dotandis. (Lugo, l. c. n. 289 seqq.) Quaedam de legatis condicionatis vide supra (n. 595 seqq.), ubi de obligationibus accidentalibus contractuum in genere.

681. II. Substitutio, in Jure nostro (C. C. a. 896), intellegitur dispositio qua donatarius, heres vel legatarius jubetur rem acceptam

retinere et tertio reddere. Juxta opinionem communioem Jurisperitorum, substitutio sensu stricto non habetur quando donatarius etc. jubetur rem servare ad tempus determinatum, ex. gr. ad decem annos, sed tantum quando eam servare jubetur usque ad mortem suam. (Marres, l. 1. n. 330) Nullatenus autem reputatur substitutio ea dispositio qua tertius designetur cui conferatur donum, hereditas vel legatum, si quando donatarius etc. illud non assequeretur. (C. C. a. 898) Aliter omnino substitutionem fideicommissariam Jus Romanum definiebat.

De substitutione, in Jure nostro, sequentia sufficient ad scopum nostrum :

1^o Jure civili prohibetur et irrita declaratur omnis substitutio, sensu supra statuto, ita ut nullum inde jus etiam donatario vel legatario oriatur. (a. 896) Excipiuntur tamen quaedam substitutiones quae patribus ac matribus et fratribus ac sororibus permittuntur in favorem nepotum : de quibus videsis C. C. a. 1048 seqq.

De hac nullitate, quando substitutio ad causam profanam fit, idem videtur dicendum quod supra (n. 674) de testamentis informibus dictum est. Hinc is cujus interest, potest in conscientia rescissionem hujus dispositionis petere; qui rem substitutione affectam detinet, potest eam servare donec heres eam petat; hac petitione facta, debet rem heredi restituere : quod faciendum erit etiam ante judicis sententiam, si nullum dubium est de nullitate legati ob additam substitutionem. Nulla autem obligatio heredibus vel executoribus testamentariis incumbit ut substitutiones exsequantur. Tandem si quaeratur num liceat rem legatam accipere cum animo non implendae substitutionis quae legato adjungatur, utpote lege civili irritatae, censemus respiciendum esse ad praesumptam voluntatem testatoris, a qua legatum omnem vim suam naturalem ducat : id igitur licitum esse, si praesumi potest voluisse testatorem ut res omnino fieret primi legatarii et secundo tantum intendisse traditionem ulteriorem; illicitum vero, si satis appareat principaliter intendisse testatorem ut per manus primi legatarii res ad tertium transiret.

2^o Substitutio ad causas pias, in foro conscientiae, exsequenda est : nam Jure Canonico, quo donationes piae reguntur (n. 675), valida habetur. Exemplum habes in eo qui domum suam legat Petro ea conditione ut is moriens eam leget ecclesiae parochiali. Quodsi, ut fit in Jure nostro, ipsum legatum ob additam substitutionem irritatur, heres non tenebitur ad exsequendum legatum quatenus profanum est, puta, in exemplo dato, ad tradendam domum Petro, sed tantum ad curandum ut causa pia oblineat id quod illi, vi testamenti, competit : nullam enim aliam obligationem habet quam ut pia dispositio effectum suum sortiat. Poterit itaque rem legatam, ex. gr. domum illam, in sua vel aliorum